



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

19. An Palatia Episcoporum gaudeant Ecclesiae Immunitate? Et quid dicendum, si Palatium Episcopi non habeat Oratorium pro celebratione Missae? Et an hoc privilegio gaudeant Palatia Episcopi, etiam si ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

tionem. Respondeo quod non valet consequentia: Ergo eius Palatium non potest gaudere privilegio immunitatis. Nam Cardinales extra Ecclesias Titulares non possunt exercere iurisdictionem, & tamen eorum Palatia, ubique ipsi existant, ut dictum est supra *, fruuntur immunitate. Vtrisque enim hoc privilegium concessum fuit propter eorum dignitatem, quam ubique commorantes representant. Ergo, &c.

11. Dicendum est itaque Palatia Episcoporum Titularium, vel extra Diocesim existentium gaudere immunitate. Est notandum, quod cum ipsi in tali casu non habeant Tribunal, neque iurisdictionem in actu, ad Ordinarios Ecclesiasticos, in quorum Diocesi existunt, controuersias circa hæc privilegia adducendas esse: & dicti Episcopi Diocesani iudicabunt de delictis familie dactorum Episcoporum Titularium, & extra Diocesim commorantium, & de reis in eorum domos confugientibus. Verum his non obstantibus hæc omnia disputationis causa esse volo. Vnde illa Sacra Congregationis immunitatis oraculo humiliter maturanda relinquo.

RESOL. XVII.

An reus confugiens ad Palatium Episcopi, quod non sit intra confines, & quadraginta passus, sed longe ab Ecclesia distet, gaudeat Immunitate?

Et quid, si in illo non adsit Oratorium, in quo Diuinum celebratur Sacrificium?

Et notatur, quod hæc immunitas extenditur à las casas de algunos Embaxadores de la Corte. Ex part. 1. tract. 1. Resol. 27.

Polir. cap. 3. num. 201. extendit hæc immunitatem à las casas de algunos Ambaxadores de la Corte.

RESOL. XVIII.

An Palatia Episcopi ultra quadraginta passus ab Ecclesia distantia gaudeant immunitate, si non habeant Oratorium, in quo Missa celebratur?

Et an hæc Immunitas extendatur ad Palatia Episcopi, ipso mortuo, vel absente, dummodo non fuissent alteri locata? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 96.

§. 1. PRO negatiua sententia in p. 1. tract. 1. resol. * 27. * Quæ hic adduxi aliquos, quibus nunc addo Ambrosinum de immunit. Eccles. cap. 10. n. 7. & nouissimè Elifæum Danza in pugna Doctorum cap. 2. de immunit. Eccles. num. 1. vbi sic ait: Cauti debent esse Episcopi, qui in eorū palatio Episcopali ultra quadraginta passus ab Ecclesia habent Oratorium, siue Capellam, in qua Missa celebratur, hoc enim casu huiusmodi palatium Ecclesiæ immunitate gaudet, ita ut ad illud confugientes tuti sint. Ita ille.

2. Sed non esse descendendum à sententia affirmatiua vbi supra ego docui cum multis Doctoribus, & nunc iterum doceo cum Ludouico Correa in relect. de immunit. Eccles. part. 2. quest. 8. n. 19. Belletto in disquis. Cleric. part. 1. tit. de fauore Clericorum reali. §. 4. 2. num. 35. Alzedo in praxi Episcop. part. 2. cap. 22. n. 77. Gauanto in enchir. Episc. ver. immunitas Ecclesiastica, tum... & me citato, tenet etiam hæc sententiam Io. Domin. Tassonus in pragmat. de Anisato, ver. 13. obser. 3. num. 31. & ratio est clara, quia iura & canones indistinctè domui Episcopi immunitatem concedunt, ergo non est restringenda ad palatia Oratoriū habentia, quæ omnia Antonius Nouatius in summa Bullarum, tit. de immunitate Eccles. nu. 10. & alij, extendunt ad palatia Episcopi, etiam ipso mortuo, vel absente, dummodo non fuissent alteri locata.

RESOL. XIX.

An palatia Episcoporum gaudeant Ecclesia immunitate?

Et quid dicendum, si Palatium Episcopi non habeat Oratorium pro celebratione Missæ?

Et an hoc privilegio gaudeant Palatia Episcopi, etiam si Episcopus sit absens, vel mortuus?

Et an domus Episcopi, quando in Visitatione per suam Diocesim transcurrit, gaudeat hac Immunitate? Ex part. 6. tract. 4. Ref. 4.

§. 1. PRO negatiua sententiam tenet Sarpus cap. 4. fol. 41. vbi ita asserit: Quod verò attinet ad Episcopi domum, non conueniunt inter se Doctores: multi namque ex eorum numero animaduertunt alio Canone statutum esse, ut Episcopus domū suam Ecclesiæ proximam & adhaerentem habeat: quare necessario intra quadraginta passuum spatium esse debet. Et pro certo constituunt, Episcopi domum, si longius ab Ecclesia distat, nullam omninò immunitatem obtinere: cum verò quadraginta passuum spatium in ciuitatibus & Castris non habeat locum; consequens est, ut Episcopi domus nullam pariter immunitatem habere possit. Ita ille.

2. Sed hæc opinio est contra Sacros Canones: nam in cap. id constituimus 17. quest. 4. aperte dicitur, quod ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omninò non liceat: & hic Canon fuit desumptus ex Concilio Aurelianensi sub Hormisda Papa celebrato

Sup. in hac
placet Ref.
& Secundo
Palatia & in
aliis cas
not.

Sup. hoc in
Ref. præteri-
ta §. Secundo
privilegium,
& in Ref. seq.
in Ref. 1. post
seq. signan-
ter in §. Ter-
tio, quia, &
in Ref. 20. §.
1. de supra in
Ref. 9. ex cō-
sequentiā
doctrinæ §.
1. & 2.

* Sup. his
etiam cur-
sim in Ref.
seq. in fine §.
Tertio quia
& in aliis
eius not.

celebrato anno 1515. & absolute loquitur: nec distinguit, si Palatium Episcopi situm sit intra spatium quadraginta passuum, necne. Ergo absolute dicendum domos Episcoporum, in quocumque loco sita sint, gaudere Ecclesiarum immunitate.

3. Primum; quia, ut dictum est, expresse & sine ulla limitatione in supra citato cap. id constitutum, conceditur domui Episcopali hoc privilegium, igitur non est limitandum, cum favorabile sit & pium.

4. Secundum; quia si intra quadraginta passus deberet domus Episcopalis existere, ut hoc privilegio gaudere, nulla ei specialis prerogativa conceditur, quae non concedatur cuilibet alteri domui Ecclesiae, vel Cononico ibi existenti, ut supra dictum est, cum iis omnibus in probabilissima sententia hoc privilegium concessum sit.

Supra quae hic est Ref. 7. Signanter §. Recte, & in Ref. 1. post seq.

5. Tertium; quia tale privilegium non conceditur, quia ipsa domus Episcopi deputata sit diuinis officiis; nulla enim talis est; neque quia Ecclesiae adheret, tanquam aliquid illius, alias ceteris domibus hoc esset privilegium concedendum; sed conceditur in reuerentiam & decorem dignitatis Episcopalis, quae est maxima dignitas in Ecclesia. Et ita tenent hanc sententiam Abbas, Archidiaconus, Ioannes Andreas, Zabarella, & alij quos citat, & sequitur Farinacius de immunit. cap. 17. num. 273. quibus adde Perlicum de officio Sacerdotum lib. 1. cap. 9. dub. 11. num. 97. Fagundez part. 2. lib. 4. cap. 4. num. 60. Quae quidem sententia procedit, etiam si palatium Episcopi non habeat oratorium pro celebratione Missae, ut inter alios obseruat Garbacurra lib. 4. cap. 3. num. 7. & ex Archidiacono Farinacius ubi supra, & alij penes me ipsum in part. 1. tract. 1. resol. 27. & me citato Ciarlinus controvers. Forens. cap. 116. num. 14. Giubba consil. 10. num. 13. Quod euidenter patet ex rationibus superius adductis; & hoc privilegio gaudere domum Episcopi; etiam si sit absens vel mortuus, optime docet Italia lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 4. & 13. ubi ampliat etiam in domo Episcopi, quando in visitatione per suam Diocesim transcurrit. Quod etiam docet & sequitur Farinacius ubi supra, num. 270. quicquid male in contrarium asserat Peregrinus de immunitat. cap. 4. n. 79.

Quae hic est supra Ref. 17. & in aliis eius not. Sup. his in fine praecedentis Ref. & infra in tract. 7. Ref. 49. §. Tunc à simili, & in tom. 4. tra. 2. Ref. 7. in tribus eius prius lin. & ad medium §. VI.

6. Restat modo respondere ad ea, quae pro sua sententia adducit Sarpus; nempe à Sacris Canonibus impositum esse Episcopo habere domum proximam, & adhaerentem Ecclesiae. Respondeo primum his temporibus hoc non esse verum, ut patet in Caeremoniali Romano edito à Clemente VIII. cap. 2. ubi supponitur Episcopum posse habere domum in loco distante ab Ecclesia. Adde quia illa iura praesens temporibus fuerunt publicata, quando Clerici habitabant una cum ipso met Episcopo; & idem illa iura praecipiant, quod domus Episcopi non debet abesse ab Ecclesia maiori; sed quia nostris temporibus Clerici dispersim habitant quisque per se ipsum; ideo nihil refert, an domus Episcopi absit ab ipsa Ecclesia. Ita Italia lib. 1. cap. 4. §. 9. n. 1.

7. Vel etiam secundo respondeo hoc argumentum non conuincere; quia non quicquid sit contrarium, tollit immunitatem à iure concessam. Ita Bonacina tom. 2. disp. 3. quaest. 7. punct. 4. num. 11. & Caltrus Palaus tom. 2. tract. 11. disputat. vnic. punct. 6. n. 12. in fine. Sed quia post haec scripta quaestio incidit inter viros doctos, quid dicendum sit de Palatio Episcopi Titularis, & quid de Palatio Episcopi extra suam Diocesim commorantis, non grauabor hic ea, quae nunc meditati sum apponere. Ideo quaro,

RESOL. XX.

An palatia Episcoporum extra eorum Diocesim gaudeant Immunitate?

Et an palatia Cardinalium extra Urbem existentium dicta Immunitate gaudeant?

Et an Palatia Episcoporum etiam sine capella, & distantia ab Ecclesia extra 40. passus gaudeant Immunitate. Ex part. 4. tract. 1. Resol. 40.

§. 1. Satis firmatum est in part. 1. tract. 1. resol. 27. Quae hic est supra Ref. 17. & in aliis eius not. Palatia Episcoporum etiam sine Capella, & distantia ab Ecclesiis extra 40. passus gaudere immunitate, quod etiam docet Acugna in decret. Gratiani part. 1. dist. 87. cap. 2. num. 2. Correa relect. de immunit. part. 2. num. 19. & Alzedus in prax. Episc. part. 1. cap. 12. num. 77. ut melius patebit infra.

2. Sed difficultas est, an dicta immunitate gaudeant palatia Episcopi extra diocesim? & negatiue respondit Peregrinus de immunit. cap. 4. num. 73. Marius Italia lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 19. & Antonius de Marinis quotidian. resoluit. cap. 180. num. 12. Ratio est, quia Episcopus extra suam diocesim nullam habet auctoritatem, nec Pontificalia exercere potest.

Sup. hoc supra in Ref. 16. §. Ad secundum argumentum, quod Palatium.

3. Verum contraria sententia potest suaderi, quia Concilium Aurelianense in cap. id constitutum, 17. quaest. 4. indistincte asserit palatium Episcopi gaudere immunitate, neque hoc coarctat in eius diocesim; & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Adde quod cum agatur de re favorabili, ut in simili casu notat Gerwonius de favor. immunit. lib. 3. cap. 16. num. 49. favor extendi debet. Deinde, ut obseruat Garbacurra lib. 4. cap. 3. num. 7. haec immunitas concessa est loco, ratione personae Episcopalis, propter sanctitatem muneris, & dignitatis; & ideo, ut diximus, palatium Episcopi gaudet immunitate, etiam sine Capella, & etiam extra quadraginta passus Ecclesiae. Ergo in quacumque parte fuerit Episcopus, ratione eius personae, cuius intuitu concessum fuit hoc privilegium, gaudere debet immunitate eius palatium. Nec valet argumentum Peregrini; nam licet Episcopus in aliena diocesim non possit exercere Pontificalia, attamen dignitas eius personae, etiam in tali loco, magnam habet reuerentiam & auctoritatem. Unde Episcopus alium Episcopum in sua diocesim exhibere, & in loco eminentiori, & in propria sede collocare, etiam si qui suscipit, Cardinalis sit, & qui suscipitur, non; ut habetur in cap. Episcopi 7. quaest. 1. & docet Mauricius Alzedus in praxi Episc. part. 1. cap. 6. num. 11. ubi citat Challancum, & Zerolam.

4. Sed his non obstantibus, an haec opinio sit probabilis, alijs iudicandum relinquo; certum tamen apud me est, palatia Cardinalium extra Urbem existentium dicta immunitate gaudere, ut tenet Antonius de Marinis loco cit. Marius Italia lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 22. & 23. quicquid in contrarium asserat nouissime Caltrus Palaus tom. 2. disp. vnic. a de immunit. Eccles. punct. 6. num. 23.

Sup. hoc supra in Ref. 14. 15. & 16. §. Secundo Palatia, & infra in tr. 3. Ref. 10. §. Ad id. alin. 6.

RESOL. XXI.

An domus Parochorum, Canonicoꝝ, & alioꝝ Ecclesiasticorum existentes prope vriginta passus Ecclesiae, gaudeant eius Immunitate, etiam si habitentur à laicis?

Et